

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Andreae Alciati Emblemata

Alciati, Andrea

Patavii, 1661

Ira. Emblema LXIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-127360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-127360)

Ira.

EMBLEMA LXIII.



ALC AE AM, veteres caudam dixere leonis,
 Qua stimulante iras concepit illi graues.
 Lutea cum surgit bilis, crudescit & atro
 Pelle dolor, furias excitat indomitas.

COMMENTARI I.

- I. **L**EO, horrendum animal, à venatori-
 bus insequentibus actus, iracundiam
 & latrantium canum turbe se opponit. cau-
 da erecta latera flagellans, oculis, ore, actò
 corporis habitu furorem præ se ferens.
- II. **I**D è scholiaste Apollonij Rhodij ad
 lib. 4. ἀλλὰ αἰὶν λέγεται κυρίως ἢ τοῦ λίον-
 τος ὄψος. ἢ τὸ δ' αὐτοῦ εἰς ἀλλήν ἑπιπέ-
 σθαι. Alia dicitur præcipitè leonis cauda,
 quia nimum ad robur & fortitudinem ex-
 citatur. Reliqua apud eundem require.
 Impotentem & indomitum furorem signi-

ficantes Aegyptij, leonem caudam
 flagellantem pingebant: leonem quidem ob
 iram, caudam verò caecos, quoniam eorum
 ossa inter se collisa ignem videtur emitte-
 re. Plinius 8. lib. cap. 16. leonis irati signa
 colligens, ait: Leonum animi index cauda,
 sicut & equorum aures. Namq; & has no-
 tas generosissimo cuiq; natura tribuit. Im-
 mota ergo placidus, clemens, blandienti-
 q; similis, quod rarò est: crebrior enim ira-
 cundia eius. In principio terra verberatur,
 incremento terga, ceu quodam incitame-

Leonis cauda sicut alcaea

Cur leo in ira caudam moueat.

σκούζειν quid.

to, flagellantur, &c. ex quibus colligere est facile, quantus sit leonis concitati furor. Alianus 5. histor. animal. c. 39. idem quod Plinius: deq; alcaea cauda videtur idem penè quod Alciatus efferre lib. 13. cap. 14. cuiusdem hist. anim. Cælius Rhodig. lib. 13. cap. 8. Quoniam verò, inquit, Plinius scribit, leonem conuerberando se cauda, stimulandoq; in prælium excitari; sciendum est, ex hoc factò dici eam ab eruditissimis Alcaeam, ἀπὸ τῆς δὲ αὐτῆς εἰς ἀλλήν τριπέσθαι, quod eius incitamento ad fortitudinē excitetur. Plutarchus in libello de vita Homeri, loquens de leone sic ait: ἔρῃ μὲν πλευρὰς τε καὶ ἰσχία ἀμφοτέρωθεν hoc est: *Cauda latera & costas utrinq; flagellat.* Est autem vesiculus Homericus. Vide O-rum Appollinem lib. 1. & 2. Nicolaus LEONICENUS in suis quaestionibus naturalibus duas reddit causas, cur leo motet in iracundia caudam. Inquit enim: Cur leones in iracundia terga sua cauda flagellant? An quia leonum animi index est cauda? & reliqua Plinij verba. An quod iracundia, accenso circa præcordia calore prouenire dicitur? calidi autem est mouere cum omnia, tum ea magis & crebrius, quæ mobilia existunt, qualis sanè in animantibus omnibus est cauda. A quo non dissentit Lucretius, his versibus: *Sed calidi plus est illis, quibus acris corda, Iracundaq; mens, facile efferuescit in ira; Quo genere in primis vis est violèta leonum, Pectora qui fremitu rumpunt plerunq; gementes, Nec capere irarū fluctus in pectore possunt.* Superius verò, cum de varietate animi loqueretur, dixerat: *Est etiam calor ille animo, quò sumit in ira Cùm feruescit, & ex oculis micat acris ardor.* Alexander Aphrodisiens hanc causam reddit, quod eorum anima vehementius moueatur, sitq; vitæ admodum appetens; cauda verò vtatur veluti homines manu, qua illi se plerunq; in excandescencia complodere solent. Leo porrò, vbi ira feruidus, ac turba canum circumnallatus, defixis in terram oculis, confurgit in prælium, dicitur σκούζειν. Hesiodus in sine sui clypei: Δειρὴν ὄραν ὄρασι, λίων ὦν σώματι κύρσας,

ὄστε μάλ' ἰνδουλίας ῥινὸν κρατεροῖς ὄνυχας; Σχίσσας. ὅτι τὰ χιτῶνά μελεχρονα θυμὸν ἀπὸ τῆς; Ἐμμενίας δ' ἀρα ἴσως κελευδὸν πῖμπα ταῖσ' ἰσθμῶν id est: *Sauum videns oculis, vt quando natus leo corpus,* Quisq; alacriter admodum unguibus sauis pelle *Dissecta, q̄ citissime lenè animum abstulit; Alacriter ad hoc furibundum cor explot,* Sed huc propius accedit Lucani pulchra descriptio è lib. 1. quo loco Cæsarem cum leone furibundo comparat: *Æstifera Libyes viso leo cominus hoste, Sui sedit dubius totam dum colligit iram. Mox vbi se saui, conuulsi verbera caudæ, Tædæque iactas, vasto & graue murmur biatu* *Infremuit, dum torta leuis si lancea Mauri Hæreat, aut latè subeant venabula pectus, Per ferrum tanti securus vulneris exit.* Horatius quo loco verba facit de excandescencia, peritè dixit, Promethea infanti leonis vim stomacho apposuisse nostro. Vide de leone plura huc facientia apud Cæli Rhodigin. lib. 13. cap. 8. sup. cit. & Picrium Valer. lib. 1. Hieroglyph. III. *CAUDAM veteres caudam Græc.] Te-* *stes sunt auctores iam citati, qui huius nominis causam assignant. Callimachus etiam in musca alcaeam absurdè posuit. In Lexico Comico: Non in leone solum intelligitur alcaea, sed in equo item & boue, & id genus alijs, quæ vtuntur calida vt adiutorio: vnde caudam Græci vocant ἔρα, ἡ δὲ τὸ ὀρίειν ἐαυτῶν τὰ ζῷα τῆ ἔρα quia ea parte se concitent animalia, vt leo, taurus, canis. Qua stimulantè] qua se mouente, erigente, & quasi spinescente, lateraq; flagellante. Sic Lucan. *Mox vbi se saue simulauit verbera caudæ. Lutea cum surgit bilis.] Bilis Græcè γῶλη ἢ ὀμνις humor est in nobis calidus siccus. Duplex primùm statuatur, naturalis vna, quæ simplici nomine bilis appellatur, estque vitilis ad alendum corpus: Alia verò est quæ recedit à naturæ mediocritate, additoque nomine vitium designante solet appellari, estq; in multiplici differentia: alia enim rubra, alia glastea, alia nigra, flaua alia, liquida, aquosa, fusca, &c. puo hic intelligi glasteam, quæ ἰσατώδης glastum colore**

III. Caudam

Bilis qd.

colore caesio refert, eam medici faciunt a-
certissimam, calidissimam, mordacissimam,
quæq; extremam inter bilis genera mali-
gnitatem obtineat, in ventriculo & circa ip-
sum gignitur à calore vehementissimo.
Præter Galeni commentarios ea de re plu-
ra perdoctè disputat Fernellius De fun-
ctionibus & humoribus lib. 2. c. 3. & 9.

Crudescit.] Crudus fit, commouetur,
excitatur. Sic ferè Curtius lib. 7. in initio,
Recruduit soporatus dolor.

Atro felle] Fel, iræ folliculus, quæ homi-
nem pro sui conditione commutare solet.
Cicero 3. Tuscul. Græci volunt illi quiddè,
sed parum valent verbo, quæm nos furo-
rem, μελαγχολίαν ipsi vocant: quasi vero
atra bili solum mens, ac non sæpe vel ira-
cundia grauiore, vel timore, vel dolore mo-
neatur.

Furiam excitat indomitas.] Philemon
Comicus,

μαυρόμεθα πάντες ὅποταν ὀργίζομεθα.
τὸ γὰρ καταρξέν ἐστὶ τῆς ὀργῆς αἶνος.

Insanimus omnes cum irascimur.
Ira enim difficillimè refranatur.

Et Tusculanarum 4. Cicero: An quicquam
est similis insanix quàm ira? quàm bene
Ennius iram initium dixit insanix? & furia
rum tædas ardentis dixit in Paradoxis ad-
uersus Clodium. Verbum Græcum θυ-
μος, animum vehementem sonat, de quo
hic, ἀδύομα, cum impetu feror. At nihil
aliud insania est, quàm ira, vel audacia ni-
mia, aut sine ratione pericula suscipere. ὀρ-
γῆ leuius quiddam est, & cupiditas vlciscè-
di, παρὰ τὰ ὀφείλειν, appetere, occupiscere. at
μῆτις, grauius quid & vehementius, vbi
cupiditatem factum comitatur, ita vt à με-
νύειν duci videatur.

Ira feror
brenis.

Iracūdia
gradus.

IV.
Ira cōhi-
benda.

Irati de-
scriptio.

ADMONEM VR iræ impetum co-
hibendum esse, omnesq; occasiones deu-
tandas, quòd ea perturbatio sic hominem
extra se deiciat, vt in belluam ferocissimā
quasi transformet. Hæc vbi semel erupit
& laxavit tæna furori, impotens est, nec
sui capax: in voce rabies, in oculis, in vul-
tu, in incessu; præceps fertur, non vadit:
glomerat verba & abruptis laborante spi-
ritu, hiulca, intercisâ, præpostera: spumat
lingua vt solet canis venatico, rument buc-
cæ, crepant dentes, ignescunt lumina & sil-
minant, tremunt pedes, rotantur brachia,
assultu rapiunt vt ceruus traiectus glande,
sursum deorsum cursitat, minatus, Retruit,

pestundat, maclat quidquid obuium. M.
Tullius 1. de Officijs: Licet ora ipsa cerne-
re iracorum, aut eorum; qui aut libidine a-
liqua, aut metu commoti sunt, aut volu-
ptate nimia gestiunt: quorum omnium vul-
tus, voces, motus, statusque mutantur. La-
stantius de ira Dei, c. 5. Cùm in animum
cuiusdam incidit velut sæua tempestas, tã-
tos excitat fluctus, vt statum mētis immu-
tet, ardescant oculi, os tremat, lingua titu-
bet, dentes concrepent, alterius vultum ma-
culer nunc suffusus rubor, nunc pallor al-
bescens, &c. Sic Ouidius 3. de Arte:

Pertinet ad faciē rabidos componere mores;
Candida pax homines, trux decet ira
feras.

Ora timent ira, nigrescunt sanguine vena,
Lumina Gorgoneo sauius angue micant.

Iraq; summè nobis elaborandum est in ira
domanda, vel saltè sic compescenda &
continenda, ne nobis possit vllum adferre
nocumentum: hanc enim qui vicerit, hos-
tem se vicisse omnium maximum & per-
niciosissimum dicere non iniuria potest.
Pertinet huc Tullij 3. Tuscul. His pertur-
bationibus, quas in vita hominum stulti-
tia quasi quasdam immittit furias, atq; in-
citat, omnibus viribus, atq; ope repugnan-
dum est, si volumus hoc quod datum est
vitæ tranquillè placideq; traducere. Quod
ex Græco Menandri sumptum videtur,
qui ait:

Ζήεις βίον κρείττονον ἂν θυμῷ κρατῆς.
Vives beatè vacuus iracundia.

Sallust. Iugurtha: Cupido & ira pessimi
consultores. Quædam leguntur apud He-
bræum Paræmiasten, Prouerb. 22. Noli a-
micus esse iracundo, neq; stude furioso, ne
disceas mores eius, & capias animæ tuæ scā-
dalum. Idem c. 22. Graue est saxū & one-
rosū, sed ira stulti grauior. Et Ecclesiasti-
ci 28. Certamen festinant, um lites incēdit;
si sustaueris, quasi ignis ardebit: si ex pue-
tis, extinguetur. Ennius iram initium di-
xit insanix: cūm plerisque nimis illam le-
quentibus finis & insanix sit & vitæ. Si qui-
dem hæc etiam pest s estis sæpe alios, sem-
per tamè prius possessorem suum torquet
& cruciat, vt mirer, vnde quibusdam videri
potuerit huic nescio quid melle dulcius
in esse. Habet fortasse vitio dulce aliquid
effertū, inhumanum; ita nihil nisi amarū
habet. Mordicus ergo Ciceronianum illud
tenendum est: Ira procul ab sit, cum qua ni-

h

Architas
& Plato.

hil recte fieri, nihil considerate potest. Iure laudatur Architas Tarentini dictum, & Platonis amici sui facti, quorum primus, dum se studijs dedito possessiones suas culpa villici destructas aspiceret, in eum verius: Sumerem, inquit, ex te debitas poenas, nisi tibi iratus essem. Alter iratus seruo non impunem dimisit, ut Architas, sed amico commisit, ut supplicium exigeret, veritus ne se irae impetus, quo non deceret, impelleret. Haec, horumque similia frangere iram debent, ne sequaces suos, ut solita est, in infamiam clademque precipitet. Id quod Alexander Iro Macedoni, totius penè Orientis victori, contigit, qui subita quadam ira correptus, Clytium nutricis suae filium (a quo fuerat ad Granicum amicum seruatus) interfecit; quemque provinciae praefecerat, conuiuium admouerat, multisque honoribus, ut amicissimum, donauerat, impetu nescio quo inflammatus ferro traiecit. At paulo post cum ad se redisset, ereptum telum ex Clyti vulnere in seipsum doloris impatiens vertebat, nisi suorum manibus fuisset prohibitus. Sic & Mahometes Othomanus, cum duos eucumeres in hortu pubescentes foris rediens decerptos inuenisset, protinus duos iuvenes sibi charos, eleganti forma praeditos (quos ad usum nefariae libidinis domi enutriebat) se decerpisse negans, traiecit gladio. Hinc non immerito Menander:

Iraperciens
Alexander
amicum in
terfecit.

Mahometes
Otho
manus.

Οργή δι' πολλὰ δρῶν ἀναγνάξαι κακὰ.
Mala perpetrare cogit ira plurima.

Aristoteles dicebat, perinde atque fumus oculos & aspectum conturbat, ut neque ea nobis videndi potestas fiat, quae sunt ante pedes: ita oborta ira rationi caligo suffunditur, ut se delinquere nulla cogitatione deprehendere possit. Unde plerumque facta ex ira sequitur poenitentia. Quod innuit Horatius lib. 1. Epist. dum canit:

--- Qui non moderabitur iram,
Insectum volet esse dolor quod susserit &
mens;

Dum poenas odio per vim festinat inuito.

Sapuit Syrus ille Terentianus, qui se conijcit in angulum, edormiturus quod biberat villum: at ira minus est sui copos quam ebrietas. Democritus ad Lacedaemonium flagris in seruum sequebatur: Desine, inquit, te seruo tuo similem offendere. Nam seruus est qui suis cupiditatibus imperare non potest. Hinc Corys Thracum Rex, natura celer ad iram, saeuusque castigator eorum, qui in ministerio deliquissent: igitur naturae suae morbum agnoscebat, vitio materiam praeripuit. Nam cum quidam ad illum detulisset vasculum fragilia tenuiaque, scite tamen & curiosè elaborata, is quidem hospiti munera dedit, ceterum vasculum omnia confregit. Demurantibus cur id faceret: Ne, inquit, sauiam in eos, qui erant fracturi. Hoc moderationis exemplum ex bello furiosa Thraee (ut canit Horatius) habet. Nostrorum temporum heri famulos suos diris, exitijs, crucibus, execrationibus furioso ore imprecatis castigant: Unde quidem minister cum domino ad iram & maledicta proclui pactus, ne postea mille pestes, aut totidem cacodamones in hominum caetu sibi imprecaretur, sed mille potius aureos; facile enim tum sibi futurum, ut clam secum domini expendat voluntatem. Non ita multo post herus ira percitus, in copiosa frequentia hominum mille aureos famulo imprecatur. At hic illi rursus decem mille. Quae res ita concitavit ad amarulentiam herum, ut iam diras, exitia, & quidquid visipiam est malorum execrationum, inonaret. Qui aderat litis componendae studio, dominum orant, ne sauiat, neve in deteriorem parte dicta famuli interpretetur, cum nemo sit ex ijs, qui non verum esse velit, quod ille optauit. Verum vos quidem dicitis, ait, atqui alia haec est moneta, de qua clam inter me & famulum conuenit, eam vos non cognoscitis. Qui plura Emblemata hoc explicata desiderat, euoluat totum Plutarchi librum de ira cohibenda, & Valer. Max. lib. 9. cap. 3.

Corys
Rex.

Facile



In cum